



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 32. Bellicæ expeditiones pro vindicanda Hispaniæ Monarchia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

§. XXXII.

*Bellicæ expeditiones pro vindicanda  
Hispanicæ Monarchia.*

Hispanicam Monarchiam aucupandi  
libido ac Principum ambitio belli  
flammis Germaniam, Italiam, Hispaniam & Belgium continenti incendio involvit: Conquiruntur nova undique fœdera; adhærent Leopoldo Cæsari, Angli, Batavi, Saxones & Imperii Principes, quibus etiam postea Sabaudia Rex accessit, ipse etiam Petrus Lusitaniae Rex in fœderatorum & Caroli III. Archiducis partes inclinabat, indignatus, quod Philippus Andegavensis insignia Lusitanica Hispanicis infereret. E contrario Ludovicus XIV. Franciæ Rex Hispanos, Bavarosque sibi fœdere jungit, conscribuntur magno numero milites, augetur ubique bellicarum munitionum apparatus, & bellantium quivis continua sollicitudine fatigatur, qua arte se invicem offendere possent: nec statorum militarium quies extremo etiam hyemis frigore militi indulgetur; ipso enim Mensis Januarii initio Tallardus Franciæ Marescallus contracto ad Mosellam exercitu Hasso Caselensem Principem a Trarbachii obsidione repulit, quam tamen urbem postea

Sæc. XVII.  
A. C. 1703.

*Lumbert.*  
t. 2. p. 501.

*Hist. Eccles. Tom. LXVII. H Ba-*



Sæc. XVII A. C. 1703. Batavi admotis scalis occuparunt, quin tamen arcem Greiffensteiniam expugnare possent. Properabat etiam Maximilianus Emanuel Bavarizæ Elector, ut Danubii trajectum occuparet, & Sclickii, ac Styrumbii copias jungi præpediret: Igitur superato Neoburgi fluvio, ad arcendos Francones hanc Urbem præsidio Bavaro interim muniti, ab Electore Palatino petit, cum vero repulsam ferret, urbem cum decem armatorum millibus post octidui oppugnationem subjugat, promotisque castris Dietfurtum occupat, quam tamen urbem, sex Bavarorum turmis a Palsio fugatis cæsisque, & magna vi tritici & farinæ in profluentem abjecta deserere compulsus est, resumtis tamen animis Schlickium Cæsarei agminis Ductorem ad Isambergam profligavit, & Styrumbium, qui Palatinatum invaserat, prope Lengofeldam inito prælio, occisoque Anspacensi Principe, ab Ambergensis Urbis oppugnandæ consilio depulit: His victoriis clarus Elector, Ratisbonam contendit, ac promissa Imperii Legatis & civitati securitate, pontem & portam Danubianam die sexta Aprilis sibi tradi petiit, nec non Filshovium apertum ceteroquin oppidum, quod Sclickius occupaverat, recuperavit. Infida tamen erat

Bavaro



Sæc. XVII.  
A.C. 1703.

Bavaro fortuna in Palatinatu, ubi Sturmius Comes Neumarkum oppidum annona & militari apparatu refertissimum & Rottenbergam aliaque castra brevi obsidione cepit, & Ambergam Cæsareis armis subjecit. Postquam vero Villarius Franciæ Marefcallus expugnato Kelhensi propugnaculo per Quintzingensem vallem penetrans, Etlinga & Rothweilia superatis copias suas Bavaro junxerat, Elector Tyrolensem Comitatum invadere constituit, eo fine, ut cum per Tridentum interim irrumperet Vindocinensis Dux, sese cum Gallico Italiæ exercitu conjungere, & Cæsareas in Italia copias penitus intercludere posset. In hunc Comitatum venisse, vidisse & vicisse idem Bavaro erat: Postquam enim Kufiteinium infestasset, ipse hujus arcis Præfectus Volkensteinus Comes deditio- nem maturavit; dum enim suburbia incenderet, vento flammam in urbem, arcemque repellente, Turris pulvere nitrato referta diffracta est, ac penu bellica in auras evibrata, quamplurimi milites civesque vario mortis genere interempti sunt, Governatore urbem & arcem Bavaris cedere coacto. Hoc successu animatus Elector, continuato rapidæ felicitatis cursu Ratenbergam armis, Oenipontum, Halam,

H 2

Schar-



Sæc. XVII. Scharnitzium, & Clusas Ehrenbur-  
A.C. 1703. genses deditioe cepit: Tot victoria-  
 rum seriem, quam Elector intra de-  
 cem dierum angustias secundante for-  
 tuna contexerat, interciderant Tyro-  
 lenses rustici, & Venatores, qui ad  
 metam, certum singuli hominem sclo-  
 pis suis figere edocti, Ductore Mar-  
 tino Sterzingero Landeccensis Pagi  
 Rectore, Oenipontem, quo Finster-  
 minziam via est, aggeribus, tormen-  
 tisque munierunt, quo peracto, ceteri  
 utrumque montem, queis Ænus inter-  
 fluit, obsidentes, atque in insidiis la-  
 tentes certam hostium stragem avide  
 expectarunt. Progreditur Noviomus  
 Bavarus Bellidux nulla periculi suspi-  
 cione Gundlacum usque, ubi tamen  
 viam trabibus, munitionibusque, &  
 pontem vallo, machinisque munitum  
 vidit, ex ipso altissimo silentio insidias  
 mortemque latere conjectabat, unde  
 receptui propere canere iussit: Tum  
 vero rustici capita efferre, & sub in-  
 condito clamore de pontis lorica tor-  
 mentis, & de monte glandibus & fa-  
 xis fulminare: Ergo averfis signis au-  
 fugiunt Bavari, in quos tamen ex e-  
 dito rustici prægrandes catenis religa-  
 tos lapides, trabesque in prætereuntes  
 devolvunt, integros militum ordines  
 continua strage proterunt, Taufkir-  
 chium



chium, & Noviomum cum quadra-<sup>Sæc. XVII.</sup>  
 ginta equitibus, qui vivi elapsi sunt, A.C. 1703.  
 capiunt, & Portiam Comitem pecudis  
 instar securibus maectant, postea Feren-  
 steinianam arcem Gallis interneccione  
 cæsis occupant. Comperta suorum  
 strage Elector, ut saltem ceteros certo  
 excidio subduceret, succisis victoriæ  
 pennis ad editiora profugit, & Bren-  
 ner montem subjugare constituit: Tria  
 Bavarorum millia ad pertentandas vias  
 præmittit, hos vero rustici tam denso  
 lapidum imbre exceperunt, ut prope  
 mille invictæ virtutis Viri misere ob-  
 triti perirent, ceteris sociorum cladem  
 eo acerbius ferentibus, quod nonnisi  
 ex fumo & insultantium cachinis ho-  
 stem adesse scirent, quin eum videndi,  
 minus vero suos ulciscendi copiam ha-  
 berent. Nec tamen propterea fracta  
 erat Bavarorum virtus, quorum forti-  
 tudini si adfuisset Gallorum fides &  
 constantia, cuncta hæc obstacula per  
 obfirmatam vincendi violentiam adhuc  
 superassent; ast Elector a Vindocinensi  
 Duce, qui cum viginti quinque Gallo-  
 rum millibus otiose substiterat, & oc-  
 cupatis aliquot arcibus in Italiam  
 redierat, derelictus, e Brenner monte  
 Ænipontum reverti cogebatur, ubi  
 tamen tanquam patriæ hostis ex-  
 ceptus, ingens vitæ periculum subiit;  
 H 3 rustici



Sæc. XVII. rustici enim in monte collocati, in eum  
A. C. 1703. unacum Ferdinando Comite de Arco  
 obequitantem sclopos suos exonerarunt,  
 Comitemque, quem ex vestium fulgore  
 Electorem credebant, interfecere: Inde  
 vero ira accensi Bavari veluti leones  
 in sexaginta pedites, totidemque ru-  
 sticos, qui tardius se receperant, ir-  
 ruentes, eos exquisitis cruciatibus ene-  
 cant, & Zierliensem vicum diripiunt,  
 comburuntque. Electore igitur ex Uni-  
 versa Tyroli demigrante, Cæsarei ru-  
 sticis juncti Scarbiam, Hallam, Ro-  
 tenbergam, Ehrenbergam, & denique  
 Kuffsteinium recuperant, cujus tamen  
 Præfectus præproperæ deditiois cul-  
 pam capitis pœna, & ceteri, Ductores  
 infamiæ nota eluere coacti sunt. In-  
 terim vero Heislerus in Bavariam ir-  
 rupit, atque Ethallam contendens,  
 Parthekirchæ vallum cæsis fugatisque  
 Bavaris superat, simulque Murnaviam  
 oppidum diripit. Vicissim Villarius  
 Marchio, postquam invito Electore  
 Bavaro, Ulmam, Ingolstadium & Bru-  
 noviam Gallicis copiis firmasset, Di-  
 lingæ castra metatus, prope Minder-  
 ckingam Cæsareos die trigesima pri-  
 ma Augusti obruit, eosque in fugam  
 egit, trucidato etiam Principe Hano-  
 verano, quo comperto Baviaræ Ele-  
 ctor Comitem de Arco, cum qua-  
 tuor



tuor armatorum millibus Augu- Sæc. XVII.  
 stam præmilit, postulans, ut cives A. C. 1703.  
 unam portam, vicinumque vallum Ba-  
 varo milite firmari concederent, his  
 vero *neutralitatem* ut vocant, sibi indul-  
 tam caussantibus, Elector hanc urbem  
 post aliquot dierum obsidionem die de-  
 cima quarta Decembris deditione cepit,  
 impositoque præsidio, ac rursus trajecto  
 Donawerthæ Danubio Styrium Com-  
 mitem inopinato prope Eichstadium  
 die decima nona Septembris aggressus  
 fudit, ac præter cæsos quingentos  
 unacum impedimentis, captivos insu-  
 per quamplurimos retulit, captoque  
 Campiduno ac demum Passavio Cæsa-  
 reos Augusta, & Burgoviæ hybernis  
 exiit. Vicissim vero Herbevillius al-  
 ter de Cæsareis Ductoribus, capta Ro-  
 temberga, Chambium, totumque Pa-  
 latinatum occupavit.

Interim Tallardus Franciæ Marefcal-  
 lus relecto Argentinæ rheno Brisac-  
 cum obsedit, quam urbem cum Philippus  
 Comes de Arco majori vi nondum admo-  
 ta dedisset. Bregentiæ Cæsaris jussu capi-  
 te plexus est die decima octava Februa-  
 rii Marsilius autem ceterique Officiales  
 cum infamia a signis rejeſti sunt: capto  
 Brisacco Tallardus cæsis ad Spiram  
 Cæsareis Landaviam ad deditionem

H 4 com-



Sæc. XVII. compulit. Vindocinensis etiam Sab-  
 audia Ducem, qui Cæsareas partes  
 repetierat, adortus, ejus legiones sub  
 Gallorum signis adhuc militantes armis  
 exuit, captivasque detinuit, Ducem-  
 que tota sua ditioe ejecisset, nisi ei  
 Starebergius cæso Albergotto cum  
 octodecim millibus succurrisset, nec  
 felice Marte pugnabant Galli in Flan-  
 dria; postquam enim Boruffici die nona  
 Februarii Rhenobergam, & Batavi Bo-  
 nam die decima quarta Maij ceperant,  
 Bufflerius quidem Obdamium Batavici  
 exercitus Ductorem minus circum-  
 spectum die trigesima Junii inopinato  
 impetu obruit, a Germano tamen mi-  
 lite cum jactura quinque suorum mil-  
 lium rejectus, Hujum & Limburgum  
 die vigesima septima Septembris, ac  
 denique Geldriam die decima quarta  
 Decembris Cæsareo - Anglis deditioe  
 cedere compulsus est. Nihilominus in  
 Hispania publico decreto Domus Au-  
 striaca & Sabauda a successione Mo-  
 narchiæ Hispanicæ excludebatur: Vien-  
 næ vero Leopoldus Imperator die duo-  
 decima Septembris omne suum jus in  
 Hispaniæ Regnum in Carolum Archi-  
 ducem Filium suum secundo genitum,  
 annuente Josepho Romanorum Rege  
 solemni renuntiatione transtulit, eum-  
 que Hispaniæ Regem declaratum die  
 vige-



vigesima ejusdem Mensis per Hollan- Sæc. XVII.  
 diam & Angliam, quorum classibus A.C. 1703.  
 deferendus esset, in Lusitaniam præ-  
 misit, ipso Rege Petro II. Cæsareas  
 partes jamjam amplexato. Appulerat  
 bonis avibus Carolus Ulyssipone die  
 nona Martii anno sequenti, quo Lusi-  
 tani cæso Ronguillo Castilliam usque  
 progressi fufis quinquies mille Gallo-  
 Hispanis quinque urbes interceperunt,  
 & Anglo-Batava classis, quæ Archi-  
 thalasso de Roock, Carolum deporta-  
 verat, Gribaltaram arcem natura &  
 arte munitissimam quarta obsidionis die  
 quarta Augusti expugnavit.

§. XXXIII.

*Ragotsii rebellio in Hungaria.*

Leopoldi Cæsaris rebus oppido in- Theatr. Eu-  
 festa erat Hungarorum rebellio, rop. t. 16.  
 quæ hoc anno in apertas flammæ e- pag. 166.  
 rumpens, ab Austriæ finibus per Hun- Wagner  
 gariam ad Valachiæ & Moldaviæ limi- Hist. Leo-  
 tes perniciem, excidiumque propaga- pold. l. 18.  
 vit: Illius Auctores erant Albertus  
 Kisius, Etsius, Pappus, Bigeus plu-  
 resque alii perditæ vitæ homines, qui  
 vitam universam in sceleribus, animum  
 in latrociniis & sanguine, mortemque  
 in gehenna degentes, in denso quodam  
 saltu primum concitandæ rebellionis